Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Adelzreiter, Meichelbeckius, Roschmannus, aliique



scribunt Eginhardus in vita Caroli M. Walafridus Strabo ad Grimald. Velserus rer. Boic. l. 6, apud Raderum Bavaricae ~~T. I~~ Vol. I. Comites Geroldo subjectos nominant / Erchenbaldum, Otpertum, Albricum, Adulphum, Wernharium, Orendillum, Amelricum, Godefricum, Godefredum. Quis eorum Alpibus nostris fuerit praefectus non ausim divinare. ~~An forte Geroldus ipse Idem Boiae~~ Aeque ~~Tam~~ parum constat, ubi sedem suam fixerit. Majus aliquamdiu sedem Ducalem fuisse; supra non vane, ut puto conjectum est. An autem et hisce ~~primis~~ Caroli M. temporibus Praefectorum sedes fuerit; capite sequente inquiremus.

Addendum hic ex Charta Arnonis Salisburgensis ~~post Arch. Eum~~ Episcopi, conscripta anno 788, de Ecclesiis in Aenivalle sitis ad Salisburgensem ~~diaecesim~~ Episcopatum spectantibus: In pago, qui dicitur Intervalles, ad Ratfeld Ecclesia cum territorio. Ad Prisslech similiter. Ad Buriom Ecclesia cum mansis III ad Georgii Ecclesiam. Ad Achingas Ecclesia tantum. Ad Fuginas Ecclesia tantum. -- Ad Brixina Ecclesia cum territorio. Ad Pirchnawanch similiter. Ad Caofstan Ecclesia et territorio et Cellula, ubi Fratres nostri manibus laborant. Unde patet antiquitas Kufsteinae, et Religio etiam monastica in Aenivallem nostram seculo jam VIII illata.